

beck, Mareschallus Provincialis Austriae Anno 1583. (b) & ultimo Christophorus David, Comes ab Urschenbeck, qui per-antiquam gentem suam clausit, relicto ex Sorore quae Comiti Massime Italo nupsit Nepote, quem in Familiam suam adoptavit, haeredemque bonorum omnium pariter ac Nominis & Insignium, accedente Imperiali concessione, esse voluit.

CARINTHIA in hac dignitate Officiales recognovit ab initio Equestris Ordinis Viros Mageros (Magerer) de Fuchstatt, Wolfgangus Magerer investituram nactus est An. 1586. (c) Hac gente emortua, Domini de Keutichach illis successerunt. (d) Denique Johannem Andream, Baronem de Rosenberg An. 1652. Ferdinandus III. Carinthiae Bacilliferum creavit. (e) Hodie Comites de Welz lineae Ebersteiniae, qui in Carnis domicilium habent, munus istud tenere, didici.

CARNIOLA ET VINIDORUM MARCHIA, Comites de Eck & Hungersbach Haereditarios Bacilliferos habet. Non tamen constat, quo tempore primum eo honore affecti fuerint.

TYROLIS Bacilliferi Barones de Welsperg & Primör sunt. Ferdinandus Archidux Christophorum Welspergium An. 1560. prima vice inauguravit. (f)

In GORITIA hujus muneris Officiales non reperiuntur.

(a) Archiv. Feudal. Graecens. (b) Ibi. (c) Ibi. (d) Ibi. (e) Ibi. (f) Brandis im Tyrolischen Adler pag. 121.

### CAPUT XIII.

## DE HÆREDITARII SCINDENDI MAGISTRIS.

### Von Erb-Borschneidern.

CONvenire Imperatoriae mensae aliquem scissorem sive scindendi Magistrum, qui, ut Seneca alicubi loquitur, *pretiosas aves scindat, pectus & clunes, certis ductibus circumferens eruditam manum, in frustra excudat*, jam olim æquum judicavit Carolus IV. Imperator, hinc Wenceslaum, Luxemburgi Comitem cum An. 1354. Ducem crearet, illud Officium in Imperiali Curia eidem exercendum commisit, *scilicet ut in recubitu mensae Imperatoris* (sunt verba Diplomatis, quod est apud Miræum) *cibos Regios, qui in solennibus Curijs administrantur, coram Imperatore inciderent, &c. Ut sic tanquam Princeps & Fidelis Imperij, guer-*  
rarum